



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Denunciationis Form. XXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

SUMMARIUM.

1. Actuum frequentia in criminalibus, induciur ex duobus actibus, in aliis causis, tres, vel quatuor vi-ces sufficiunt, juxta tamen Judicis arbitrium.
2. Accessus ad Monasteria Monialium per-tinent ad custodiam clausuræ.
3. Prohibitio alloquendi cum exteris, fit ipsis Monialibus, tanquam subditis.
4. Prohibitio accessus ad collocutoria Mo-nialium, non debet fieri sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, & afferuntur rationes.
5. Secus contra accedentes ad malum fi-nem, vel scribentes obscœna.
6. Scribentes Epistolas Monialibus, non comprehenduntur in Edicto, præser-tim quando Epistolæ non pervene-runt ad illarum manus, & n. 7. & 8.
9. Clerici frequentantes Monasteria Mo-nialium, qua pœna sint coercendi ostenditur, & n. 10.
11. Regulares frequentantes Monasteria Mo-nialium etiam ipsis subjecta, censuris, etiam reservatis, coercentur.
12. Episcopus contra sæculares frequentan-tes, non debet uti censuris, nisi, in-casibus, qui generant scandalum.
13. Proponuntur remedia pro ruenda re-gula, & clausura, & n. 14. 15. 16. & 17.
18. Cardinalis Petruccius erigit Æstii no-vum Monasterium Monialium & re-jicitur Anonimus Historicus, & 19. & 20.
21. Inquisitus de frequentatione Monaste-rii Monialium, a comminatione, seu declaratoria censurarum non ap-pellat.

Sententiæ Declaratoriæ

F O R M U L A XXXIV.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus N. laicus, ex eo, quia in spretum Sac. Canonum, & nostri Edicti, Collo-cutorium Monasterii Monialium N. cum scandalo, & Sac. Virginum perturba-tione absque ulla rationabili causa temerè etiam post specialem admonitionem frequentare præsumpsit. Ut igitur ab omnibus evitetur, &c.

N. Episcopus; sive Vic. Gen. N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

COn autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scomunicato N. perche in disprezzo de Sacri Canoni, e del nostro Editto, hà con scandalo, e per-turbatione delle Religiose e senza causa, e occasione alcuna ragionevole, anche dopo l'ammonitione speciale, frequentato temerariamente il Parlatorio del Mo-nastero delle Monache N. ed acciocche sia da tutti evitato, &c.

N. Vescovo, ò Vic. Gen. N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

AD-

ADNOTATIONES.

1 **N** LAICUM FREQUENTARE.

Quis dicatur frequentare, ad hoc ut dici possit hujus canonis transgressor, certa regula definiri non potest: nam licet in criminalibus duo actus frequentiam inducant, ut vidimus supra in delicto Concubinatus, est *glos. in c. mos dist. 1.* & etiam in terminis istius canonis frequentia alloquendi cum Monialibus, censeatur inducitur ex duabus vicibus, ut tenent *glos. ibi in verb. frequentare Gratian. discept. 393. num. 17.* tamen, ut alii volunt, & præsertim citato *glos. in d. cap. mos distinct. 1.* in rebus non Criminalibus, tres vices non sufficiunt ad inducendam consuetudinem, sed quod saltem requiratur numerus quaternarius; ideoque ad judicandum de hoc, est requirendum arbitrium prudentis Judicis, qui pensatis circumstantiis personarum, rei, seu negotii gerendi, scandali, periculi, loci, & finis de frequentia actuum judicabit, Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 102. numer. 70.* Bonacin. *de clausur. quæst. 3. punct. 2. numero 4.* & alii quos refert Donat. *prax. rer. regular. tom. 4. tr. 6. de access. ad monial. q. 3. numer. 6.* Pelizar. *de Monial. c. 5. numero 197.*

2 *Contra prohibitionem expressam nostri Edicti.* Prohibitio accessus ad Monasteria Monialium, Pertinent ad custodiam Clausuræ, ut jam dixi *par. 1. tit. 1. ad form. 3. numer. 9.* & docet Donat. *prax. rer. regular. tom. 4. tract. 3. de clausur. Monial. quæst. 5. num. 1. & 2.* Pignatell. *consult. 85. num. 35. tom. 6.* quæ cum sit materia gravis, & obliget sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset, Bonacin. *de clausur. & pæn. viol. quæst. 3. punct. 3. num. 1.* & a Summis Pontificibus, & Sac. Concilio Tridentino, fuerit præcepta; ut facilius vota præcipue castitatis servantur, & finis religiosæ vitæ consequatur: summo studio ab Ordinariis locorum elaborando est, ut Sanctimonialia ab hominum colloquiis abstineant.

3 Formula edicti prohibitionis accessus sæcularium ad Collocutoria, data fuit

par. 2. tit. 15. form. 15. pag. 188. in qua prohibitio alloquendi cum exteris directè, & præceptivè fit ipsis Monialibus, sæcularibus verò per modum monitionis: & hoc quia (ut mihi visum fuit) subditis immediatis magis propriè præcipitur, quam cæteris, qui subditi sunt occasione: præsertim Monialibus (hac in parte etiam exemptis) quæ Superioribus obedientiam præstare voverunt.

Hoc autem Edictum, sive concipiatur prout in formula a me data, sive alio modo, non debet contra accedentes sine licentia, continere pœnam excommunicationis latæ sententiæ, sed comminatoriæ tantum, tum quia S. Congr. illam non approbat, ut pluribus Decretis relatis testatur Nicol. *in flos. in verb. accessus n. 6.* tum quia Edictum non facit verum contumacem, neque inducit in transgressorem dolum, & præsumptionem, quem, seu quam *text. in d. c. monasteria* requirit, ad hoc ut, quis possit excommunicari, ut patet ex illis verbis - *si sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit,* quæ dolum, & temeritatem denotant, & sic exigitur specialis monitio, antequam transgressor excommunicetur, cum non sufficiat generalis per edictum, ut de mum, quæ a tale Edictum continens casus, qui excusationem rationabilem admittunt, est nullum tanquam factum contra dispositionem juris, ut de Edicto emanato sub pœna excommunicationis contra laborantes in die festo, tradit D. Raynald. *observ. crimin. tom. 1. cap. 1. §. 9. numer. 79.* Quidquid sit dicendum de illis, qui accedunt ad malum fidem, vel obscena scribunt, aut amatoria, tam monialibus, quam aliis mulieribus in clausura manentibus; hi etenim excommunicatione reservata latæ sententiæ innodandi sunt in Synodo.

Advertendum secundo, quod Edictum prohibens simpliciter colloquium, non comprehendit scribentes Epistolas, nisi expressè de eis fiat mentio juxta opinionem Gavant. *manual. Episc. verb. Monialium communes leges num. 24.* Donat. *prax. rer. regul. tom. 4. tract. 6. quæst. 10. numer. 1.* at etsi illos comprehenderet, secundum opinionem Pignatell.

Con-

- Consult. 28. tom. 2. quem sequitur D. Ursai *Instit. crimin. lib. 3. tit. 5. nu. 195.* non incidunt in pœnam scribentes, quando eorum litteræ ad moniales non pervenerunt, Navar. *conf. 19. de sent. excom. Graff. lib. 5. part. 1. de sent. excom. consl. 16. n. 26. & consl. 22. n. 34.* Donat. *loco citato quæst. 11. per tot. & prohibens simpliciter colloquium cum Monialibus, cum sit pœnale, non comprehendit Novitias, Graff. d. conf. 22. Donat. ubi supra quæst. 17. n. 1. & 2.* His igitur ponderatis Ordinarius juxta loci exigentiam suam Edictum formabit.
- 9 Clerici autem frequentantes Monialium septa debent, si sunt in Sacris, ab Officio suspendi, præcedente tamen monitione *ad desistendum* quæ ut mox dixi præcedere debet vindictam ut monet *text. ibi - & si non desisterint*: idest si monitus, *glos. ibi & Barbof. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 153.* alii vero minorum ordinum Carcere, & aliis pœnis puniantur: non enim Ordinarius in tuenda Clausura habet restrictam facultatem puniendi frequentantes Censuris tantum; sed aliis pœnis sibi bene visis illos potest coercere, ut habetur expressè in *Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de regular. ibi --- atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes.* Donat. *prax. rer. regul. 10. 4. tract. 6. de access. ad monial. q. 18. n. 4.*
- 10 At ordinarius si Clericos frequentantes carcere punire decernat, servare meminere dispositione *text. in cap. si Clericos 15. de sent. excom. in 6. ubi hæc habentur --- eosdem quoque Clericos si, de parendo juri tibi fidejussoriam dederint cautionem, detinere non debes nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis, eos suaserit detinendos.*
- 11 Regulares autem puniuntur juxta præscriptum Decretorum *Sixti V. Urbani VIII. & Sacr. Congreg. Concilii*, quæ per me relata fuerunt *in pa. 1. tit. 11. ad for. 18. & in Appendic. pag. 309. & 310.* qui & ulterius accedentes, & frequentantes Monasteria Monialium, etiam ipsis subiecta, nulla eis suffragante exemptione, ab Ordinario Censuris sibi reservatis, & latæ sententiæ coerceri possunt, ut patet ex *Monacel. Formul. Pars III.*

Decreto per extensum relato a Lantusc. *in theat. regular. in verbo Episcopus n. 3.* in quo sic habetur.

„ Die 26. Junii 1627. in una Viterbien. quæsitum fuit. An Episcopus ob clausuram custodiendum, etiam in Monasteriis Regularibus, subiectis, possit excommunicationis latæ sententiæ pœnam sibi reservatæ imponere, circa aperitionem Ostii Clausuræ extra casus indigentie, nec non circa accessus, & colloquia, cum Monialibus, dictaque excommunicatio liget, nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, facta de illis mentione, adeo ut Superior Regularis ab hujusmodi excommunicatione absolvere nequeat Sac. Congr. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum respondit Episcopum posse.

F. Card. Verospius.

Franciscus Paulutius Sac. Cong. Secr.

In Registro hujus Congr. fol. 42.

Ad removenda scandala. Hoc dicitur 12 in Declaratoria ad instructionem Ordinarii, qui uti non debet gladio Censurarum contra frequentantes, si in subsidium, & in locis, & casibus particularibus generantibus scandalum, & corruptelam, quæ alio modo, & via removeri non possint, ut erat in casu, quem retuli *par. 1. tit. 11. in præludio nu. 3. pag. 226.* quotiescunque enim multis grassantibus exemplo opus est, pœnæ possunt augeri, ut multis delinquentibus pœnæ unius sit metus multorum, ut inquit *text. in l. aut facta §. fin. ff. de pœn.*

Cæterum, ut Virgines Deo dicatæ Immaculatæ se custodiant ab hoc sæculo, & ab eis procul recedant vana, efficaciora remedia sunt. Primum, prædicatio verbi Dei, quod sanat, & captivat intellectum ut dicit *Psaltes psal. 106. misit verbum suum, & sanavit eos*: imo sanat omnia ut ait *Sapiens -- sermo domini sanat omnia Sap. 16.* frequentatio Orationis, & Sacramentorum, hæc enim si debito modo fiant, plus obtinent, quam remedia legalia.

I Se-

- 14 Secundum remedium pro introductione, reformatione, & manutatione observantiae regularis est, accretio reddituum, & vita communis, & ubi facultates monasterii alio modo augeri non valeant, promoveatur unio Monasteriorum, suaviter tamen, & absque ulla monialium coactione.
- 15 Tertium remedium est, nova fundatio cum Dote sufficienti, pro observantia vitae communis, & cum prefixione numeri Monialium qui augeri non possit ac sub regula, & Constitutionibus, quibus prohibeatur Monialibus accessus ad Crates collocatorii.
- 16 Primum remedium adhibent omnes illi Episcopi, & alii Ordinarii, qui monitum Apostoli ad *Colos. 4.* memorantes, vident ministerium, quod acceperunt, & illud implent.
- 17 Secundum remedium adhibuit Episcopus Camerin. qui cum licentia S. Congr. Episc. & Regul. proponente Clar. m. Car. Petruccio sub *die 8. Aug. 1698.* obtenta, univit Monasterium Monialium sub titulo S. Joannis, altero sub titulo S. Hieronymi Terrae S. Genesii, cum obligatione servandi vitam communem, Unionem dirigente eodē Cardinali juxta mentem S. Congr. Item Episcopus Nucerinus in Umbria, qui eadem, imō & Apostolica facultate suffultus, Moniales Monasterii sub tit. S. Clarae Terrae Gualdi, una cum bonis transtulit, & univit monasterio Monialium S. Margaritae ejusdem loci de *monse Martij 1704.* & hoc obtinere quamvis moniales unitae diversam regulam primò profiterentur.
- 18 Tertium remedium (præter primum cum Monasteriis jam erejectis) amplexus fuit laudatus Card. Petruccius, dum erat Prelatus, & Episcopus Aesinas, qui Conservatorium Virginum sub regula tertii Ordinis S. Francisci in d. Civitate existens, ad novum Conservatorium à fundamentis aere, & industria propria, ac impensa 4. m. scutorum circiter sub titulo SS. Trinitatis constructum animo introducendi Clausuram transtulit de anno 1684. Regulam antiquae observantiae Montis Carmeli sub Constitutionibus S. Mariae Magdalenae de Pazzis in (quibus accessus ad

Crates Monialibus prohibetur) Observandam dictis Virginibus dedit, de Ecclesia anno 1694. providit, & denique superatis concordia obstaculis, quae interponebantur circa pertinentiam bonorum pro erectionis Dote assignatorum sub *die 19. Aprilis 1697.* proponente Emin. Cardinali Colloredo, & me scribente, gratiam erectionis in Monasterium obtinuit sequenti Decreto.

Pro confirmatione Concordiae, & erectione Conservatorii in Monasterium cum Clausura, juxta eandem Concordiam, & formam praescribendam ab Em. Petruccio per litteras in forma Brevis.

In executionem hujus rescripti, idem Cardinalis, formam, numerum, & conditionem Virginum recipiendarum praescripsit: litteras in forma Brevis (in quibus Fundator, & Protector nuncupatur,) suis expensis sub *dat. 28. Septemb.* ejusdem anni, obtinuit, & expedit, scuta mille sub nomine pii benefactoris de proprio Monialibus Convertitis transigentibus pro æquanda, & exequenda Concordia rogitu q. Francisci Matoffi Cancellarii Episcopali sub *die 14. Octob.* anni praedicti, solvit, & tandem post multos labores, & expensas non modicas, & cursum tresdecim annorum, anno praefato 1697. nondum elapso, Clausuram optatam (Episcopo ejus Successore in litteris Apostolicis Delegato exequente) introduxit.

Oportuit in hoc tertio exemplo, & re-¹⁹ medio totam facti seriem minutatim exponere, quia quidam Anonimus compilator Historiae Aesinae posthumae, & defectuosae (ut ipse fatetur in Epistola ad lectorem) q. Thomae Baldassini, Typis editae Aesii anno 1703. facti ignarus, in Cronologia Episcoporum de Civitat. p. 3. c. 2. pag. 180. dicit. *Il quarantesimoprimo è Mons. Alessandro Fedeli d'Urbino presente Vescovo vivente, da Innocent. XII. trasferito al Vescovato di Jesi l'anno 1696. Ha eretto, e ridotto in Clausura l'esemplarissimo Monastero della SS. Trinità &c.*

Cujus Historiae, seu compilatoris as-²⁰ fertio in secunda parte, non solum est æquivoca, sed insubsistens, & erronea

ex supra narratis Illustriss. enim hodiernus Episcopus Alexander Fidelis, qui anno 1696. successit in Episcopatu, non Fundator, sive Erector, (ut male supponit Historicus) sed gratiæ erectionis a dignissimo Cardinali Petruccio obtentæ fuit merus Executor. Ne igitur lectores Historiæ ejusmodi decipiantur, & honori, ac merito tanti Cardinalis deroget devota posteritas, hæc in obsequium veritatis, absque periculo aberrandi advertenda propono.

21 *Et publicari mandamus.* Si reus a committatione, seu declaratoria hujus censure appellet, non poterit publicationem Cedulorum suspendere, quia non admittit appellationem, ut habetur in *cap. periculo de stat. regular. in 6. ibi -- contradictores, atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo*, quæ Constitutio iterum, a Concilio Trid. innovata in *c. 5. sess. 25. de regul. eandem vim retinuit, & rigorem, mandans illam observari eisdem ferè verbis inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes*, quod verum est, quando Ordinarius servatis servandis, & modo in formula, & annotationibus supra insinuatō processu, aliàs enim nulliter, & in justè ad Censuras deveniret.

Advertendo, quod ubi accessus ad Monasteria Monialium præter prohibitionem Episcopi, esset quoque laicis prohibitus vigore bannimentorum Magistrat-

tus, seu Principis sæcularis, tunc contraventio, quo ad Sæculares, esset delictum mixti fori, & posset puniri ab utroque Judice, Sabell. *sum. div. tract. §. Monasteria numer. 20. vers. Florentia tamen.*

De excommunicatione contenta in capi.

18. sess. 25. de Regular. Concil.

Trident.

Sapientissimi PP. Concilii Tridentini consultè psalmographi verba recolentes, quibus voluntariè se Deo sacrificare pronunciat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat: anathemati subjecerunt omnes, & singulas personas cujuscvis conditionis, si quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam invitam ad suscipiendum habitum Religionis, vel earundem voluntatem illum accipiendi impederint. At malum, quod ab Ecclesia eliminare studuit hoc Decreto Concilium, jam hodiè ingravescit, & maximam exoptat Episcoporum vigilantiam, nè Virgines Parentum, aut fratrum imperio coacte, statum, quem non elegerunt, invitæ suscipere adstringantur. Quare si post susceptum in Religionem habitum, vel post emissam professionem, constet de vi illata, præter declarationem nullitatis susceptionis habitus, & respectivè professionis, Decreto judiciali faciendam, poterit ordinarius ad declaratoriam excommunicationis cogentem devenire.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A XXXV.

ATtenta comparitione, & instantia Sor. N. in Sæculo N. Monialis professæ (sive Novitiæ) in Monasterio N. & intra Clausuram degentis retento habitu de, & super nullitate suæ professionis coram nobis intra quinquennium judicialiter introducta, visis juribus pro illius parte exhibitis, toto processu desuper constructo, ex quibus constat de vi eidem illata, & de metu cadente in constantem Virum incusso ab N. ad suscipiendum habitum Religionis, & emittendam professionem in dicto Monasterio: dicimus, & declaramus, professionem (sive habitus susceptionem) per d. N. emissam, fuisse & esse nullam, & ad observantiam regulæ, Monasterii ipsam minimè teneri, eique propterea licuisse & licere absque

I 2 Vo-